


DE CENSURIS ECCLESIASTICIS.


Datur in Ecclesia potestas, suis legibus refractarios coërcendi per censuras: 92. Censura est poena spiritualis & medicinalis, per quam homo baptizatus delinquens & contumax privatur usu quorundam bonorum spiritualium. 93. Triplex est, nempe *Excommunicatio, Suspensio & Interdictum*. 94. Excommunications latæ sententiæ non sunt partus ætatis recentioris, nec primis decem seculis quodad substantiam fuerunt incognitæ, ut frustra prætendunt quidam ad naufragium usque novaturientes. 95. Adsertio cuiusdam Theologi Lovaniensis, qua omnes Excommunications latæ sententiæ tanquam pernicioſas deleri, & abrogari vellet, merito audax dicitur a *Benedicto XIV. L. 10. de Synod. dioec. c. 1. N. 5.* 96. Pontifex, sicut in dispensando nimia indulgentia, sic in infligendis censuris nimia severitate errare potest. 97. Ecclesia autem, ejusque supremi Pastores justissimas habent causas, libros tum heterodoxos, tum alios morum honestati noxios etiam sub poenis canonicis interdicendi. 98. Quin & gravissima ipsis incumbit obligatio, omnimodo impediendi, ne quid malorum ejusmodi loliorum disseminetur z). 99. Imo, cum ejusmodi libri pestiferum quoque in statum hominis tum naturalem, tum civilem habeant influxum, jus eos proscribendi, a Potestate etiam civili recte usurpatum. 100. Ex quo tamen, Ecclesiæ hac in re nil juris competere, inepte admodum infert Author der pragmatischen Geschichte der Bulle *Coena Domini*.

z) Prudentissime hinc cantum, ne quis liber typis mandetur sine prævia Ordinariorum Inspectione & Censura.

Cui & hæ pagellæ subjectæ sunt.



© The Tiffen Company, 2007



© The Tiffen Company, 2007

